dicamentum hæmoptoicis accommodatum, cerussam recipiat, teste Myrepsico, cur mendum scripturæ caussatur Fuchsius, vt cùm cerussa venenum sit, loco ψιμμυθίου σύμφυτον legi oporteat. Quasi verò arsenico, vel sandarachę nõ maius pernitiosæ facultatis periculum subsit? Calcem dysentericis clystere inijcit Galenus: cùm si lauetur, mordacitatem exuat, & proferat lixiuium, extra morsum desiccãs. Sic cætera quoq; pręparationi legitimæ idonea fiunt materia. Aes vstum vomitũ ciet cum hydromelite potum, aut melle delinctũ, Dioscoridi: leucophlegmaticos expurgat, Galeno: qui simul experientia cognouit, squamam eius aluum subducere: quam Dioscorides serum prolicere testatur: eiusq; florem, quaternûm obolorum pondo, humorem crassum: de quo Hippocrates, asso nitro, hyssopo, melle perfusum, peripneumonicis & suppuratis prodesse. Celsus λεπιδοχαλκὸν inter ea refert medicamenta, quibus antiqui deiectionẽ, crebramq; alui ductionẽ in omnibus ferè morbis moliti sunt. Ferri scoria aconiti veneno medetur,

De Antidotis sect. 1. cap. 387.

1. facilè parab. 20. 9. simpl.

Li. 5. c. 47.

2. facilè parab. 36. 3. sim. 15. 9. local. medicam. 3.

Li. 5. c. 49. 2. & 3. de Morbis.

Lib. 2. cap. 12.